Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



illum quasi dissipasset bona ipsius Et uocauit illum
et dixit illi Quid hoc audio de te Redde rationem
villicationis tue: iam enim non poteris villicare Ait
autem villicus intra se Quid faciam quia dominus meus
auferit a me villicationem Fodere non ualeo: mendicare erubesco Scio quid faciam: ut cum amotus
fuero a villicatione recipiant me in domos suas
Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui
dicebat primo Quantum debes domino meo At ille
dixit Centum cados olei Dixitque illi Accipe
cautionem tuam: et sede cito scribe quinquaginta De
inde alio dixit Tu uero quantum debes Qui ait Centum choros tritici Ait illi Accipe litteras tuas
et scribe octoginta Et laudauit dominus uillicum iniquitatis quia prudenter fecisset: quia filii huius
seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua
sunt Et ego uobis dico Facite uobis amicos de mamona iniquitatis: ut cum defecerit
recipiant uos in eterna tabernacula Offert
Iustitiae domini recte letificantes corda et dulciora super mel
et fauum nam et seruus tuus custodiet ea Sec Oratio
de uob domine cas hec frequentare misteria: quia
quotiens huius hostie commemoratio celebratur
opus nostre redemptionis exercetur P communio
Primum querite regnum dei et omnia adicientur uobis
dicit dominus Compl Tui nobis domine communio sacramenta: et purificationem afferat et tribuat uni
tatem P dum Feria quarta ad Romanos
Fres Nescitis quo cui exhibemus uos ser
uos ad obediendum serui estis eius cui obedistis
siue peccati in mortem siue obedientiae ad iusti